

Quid Graecis Cicero in philosophia, quid sibi debuerit, quaeritur.

In recte et intelligendis et interpretandis Ciceronis operibus qui operam et studium collocaverunt viri doctissimi et sapientissimi quique non satis habuerunt in singulorum verborum aut explicanda significatione aut expedienda structura acquievisse, ut ii facere solent, qui a Cicerone nihil nisi latini sermonis puritatem et elegantiam descendam nec quidquam ex eius libris repetendum esse putant nisi eloquentiae aliquot praecepta idoneis exemplis munita et confirmata, illi id maxime sibi agendum esse existimarunt, non ut verba excuterent, sed ut res explorarent, quas animo et ingenio amplecterentur. Idem quanto maiore summum Romanorum oratorem non minus quam philosophum admiratione dignum habebant, tanto ampliores ex eius scriptis et locupletiores universae divinae humanaeque sapientiae opes se percipere posse arbitrabantur. Quem tamen quum praecipue in philosophia pauca ipsum invenisse, longe plurima a Graecis accepisse intelligerent, ad Graecarum Musarum sedes sanctissimaque delubra penetrare coeperunt, unde perennes antiquae sapientiae fontes oriri sciebant, id spectantes ut quos ibi detexissent quasi literarum rivulos eos in suos agros et hortos deducerent. Quorum virorum vestigiis si ego quoque insistere decrevi, hoc non eo consilio me fecisse facile arbitrabuntur aequi rerum scholasticarum aestimatores quod viros multo me doctiores ego docere posse putarem; nihil enim aut inauditum proferam aut cuiquam novum: sed ut adolescentibus nostrae disciplinae commissis, qui quo maiore incensi sunt subtilioris percipiendae doctrinae studio, eo maiore diligentia ut in Ciceronis opera incumbant monendi videntur et cohortandi, viam monstrarem, qua cum interiorum aliquam familiaritatem cum Ciceronis libris de philosophia contrahere, tum in ipsa illa iucundissima antiquae philosophiae spatia, quae quidem pueris et adolescentibus paterent, liberius excurrere possent easque literas, quarum dulcedine ac suavitate iuvenes optima indolis maxime capi solent, mature adamare discerent. Idque tanto diligentius mihi faciendum esse arbitrabar, quanto certius sciebam hanc scribendi occasionem muneris mihi magis rationibus impositam, quam alio ullo consilio quaesitam esse. Quare si discipulorum nostrorum necessitatibus servire, quam qualiacunque doctrinae specimina proferre malui, fore sperabam ut qui sapienter de me meisque rebus iudicarent, ii hoc meum consilium si minus laudarent atque probarent, certe non reuerent et aspernarentur. Accedit quod a Cicerone disci potest discere. Etenim qui animadverterint quanta diligentia aequae ac pietate et verecundia Cicero vel senex amplissima Graecae scientiae horrea dicam an armamentaria recluderit, ii necesse est ut ipsi in aliorum meritis diiudicandis recteque aestimandis

pii sint et modesti semperque nobilissimum illud meminerint, quod est apud Quintilianum Institt. X, 1: modesto et circumspecto iudicio de summis viris pronunciandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent quae non intelligant.

Ante vero quam de Cicerone philosopho quid sibi debeat, quid aliis dicere instituamus,¹ pauca quaedam de loco et dignitate praemittere debemus, quam quum universae literae, tum imprimis haec philosophiae studia apud Romanos obtinuerint. Summa enim Ciceronis, quem unum optimis rei publicae temporibus vere philosophatum esse recte statuimus,² merita

¹ Quaestionem verene Cicero philosophus fuerit necne, quippe quae per se gravissima sit et quae accuratius examinetur dignissima, diu multumque agitatam esse videmus: nec facile quisquam inventus est qui tot et tam diversa atque inter se pugnantia doctorum hominum iudicia expertus sit. Alii enim nimio eius studio capti, quem in Romanorum animis philosophiae amorem primum incendisse et aluisse civesque suos indefesso labore, ut alterum quendam Socratem, non solum doctiores, verum etiam meliores reddere studuisse Romanosque non modo ad legendi sed ad scribendi quoque studium adduxisse scirent, quem denique linguam latinam, quam rudem incul-tamque accepisset, unum ita effinxisse et excoluisse intelligerent, ut ad exprimendas philosophiae notionem et ad omne disquisitionum genus instituendum apta esset et idonea, eius philosophiam summis laudibus efferebant neque dubitabant eum in maximorum philosophorum numero ponere. Sic e veteribus Quintil. Instt. Or. X, 1. Macrobi. Somn. Scip. I, 27. et Christianus ille Cicero, Lactantius, quem Trevirenses apud se mortuum esse gloriantur, Inst. Div. I, 15. III, 14., ex recentioribus Erasmus in Ep. L. XXVII. ep. 1. 11, 26. Ciceronem non satis laudari posse credunt. Vituperatorum obtreactiones refutantur apud Hornium Hist. phil. IV, c. 5, p. 246. Magnifice de philosopho Cicerone sentit Wyttenbachius Bibl. Crit. Vol. I, P. III, p. 2 sq. et in disputatione de veterum sententia de animorum immortalitate. Egrege de eadem re disseruit J. A. Ernestius in praeclara illa dedicatione ad Stigltizium scripta p. LXXIV sq. Alii contra nullos philosophos esse censentes nisi qui perfectam aliquam artis disciplinam suo ingenio procreassent eamque a certis quibusdam et constitutis principiis deduxissent, Ciceroni ut qui novi nihil invenisset, sed ea tantum, quae a Graecis olim et multo melius tractata fuissent, recoxisset nec amplius quidquam fecisset, nisi ut Graeca interpretis more modoque ad verbum in latinum sermonem converteret, laudem nomenque philosophi prorsus derogarunt. Admirabili quidem, inquit, Cicero ingenii fecunditate instructus fuit, iudicii subtilitate non aequae: itaque magis cum ad eloquentiam, ad quam fervida quadam imaginandi vi opus sit, sibi natum videri, quam ad instituendas philosophiae disquisitiones, quae subtilius aliquod ad inveniendum, inquirendum, perscrutandum ingenium postulent, quam quod Ciceroni contigerit. Ex eorum numero Divum esse Augustinum non miramur, qui de Civ. Dei II, 27. Ciceronem non dubitat philosophastrum nuncupare: virum enim sanctissimum constat academicae disciplinae inimicissimum fuisse adeoque contra eam scripsisse. V. Brucker. Hist. phil. T. II, p. 49. Eandem sententiam plurimi recentiores historiae philosophiae scriptores tuentur, qui eloquentiae, non philosophiae laudem Ciceroni tribuendam esse censent, veluti Johnsius de script. hist. phil. T. II, c. 18, §. 4. et Heumannus in Act. phil. Vol. II, p. 459, nec non qui vitam Ciceronis scripsit in Real-Encyclopaedie der class. Alterthumskunde, Stuttgart 1839. T. VI, P. II, p. 2183 sq., qui ad unum omnes Ciceronem assiduis philosophorum discipulis, non principibus philosophiae adnumerant. At quam pauca, ac ne singula quidem singulis saeculis ingenia et veterum memoria et post renatas literas exstiterunt, quibus ad tantum sapientiae fastigium ascendere licuerit.

² Non enim sunt audiendi, qui Ciceronem non tam animi quodam impetu et ardore, quam laudis ac gloriae adipiscendae cupiditate ad philosophiae studia delatum esse eaque de causa veram divinae scientiae vim perceptam non habuisse dicunt, quae est Tennemannii sententia in Geschichte der Philos. T. V, p. 190. Quantumvis enim, qui Brut. c. 89 sq. literis perfectae eloquentiae fontem contineri et philosophiam matrem omnium bene factorum beneque dictorum esse censuerit, philosophia ut optimo eloquentiae praesidio usus sit et adiumento, non tamen eam in humilem servae vel ancillae conditionem detrudere voluit. Immo vero iam adolescens philosophari coepit, Tusc. Qu. V, 2, 5. de Off. II, 1, 4. de Nat. Deor. I, 3, atque ea aetate cum ad eloquentiam forensem se parabat, prima opera edidit, postea ab eo ut levia imperfectae iuventutis conamina reiecta: nec unquam cum iuvenis est factus illud studium intermisit, sed tantum ei tribuit temporis, quantum a publicis negotiis vacabat. Vehementer igitur ii errant qui Ciceronem senem demum, gravissimis fortunae casibus percussum aut dolorum remedia a philosophia petivisse aut otii, quo abundavit, honestissimam aequae ac iucundissimam oblectationem apud eam invenisse censent. Audiendus potius Cicero ipse de Nat. Deor. I, 3. ita disserens:

de illa doctrina, omnium literarum capite et fonte non intelligentur, nec quanta et quam praeclara fuerint satis perspicietur, nisi prius de statu philosophiae, qualis apud Romanos ante Ciceronem fuerit, pauca disputaverimus.

Gens romana, a primis rei publicae initiis in perpetuis bellis occupata ad arma, ad victorias, ad totius orbis terrarum imperium, non ad pacis artes literarumque culturam nata videbatur. Nam uti invicti populi nomen armorum splendore rerumque gestarum gloria ad ultimas terras propagabatur, ita apud eundem populum artium et doctrinarum studia neglecta iacebant. Non quo omnes omnino artes et disciplinae contemptae essent; nonnullas enim pro illa, qua praeter ceteros homines excellebant Romani gravitate, severitate, maiestate mirifice amabant, maxime eas, quarum aliqua in re publica instituenda et regenda utilitas esset, eloquentiam dico et historiam, iuris scientiam, rei publicae gerendae artem cum legum ferendarum prudentia coniunctam: at modestam illam operam in veri exquirendi ac bene honesteque vivendi disciplina collocatam vix libero homine dignam existimabant.³ Virtutis praecepta nullo praeunte magistro vita magis quam literis exprimebant, sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam quod imperitis ea probari posse non putabant.⁴ Diutius igitur quam accidit illae, in quibus inveniendis et excolendis optime Graecorum ingenia ab antiquissimis temporibus elaboraverant, bonae literae spretae iacuissent et abiectae,⁵ nisi sapientissimi ea quidem aetate Graecorum, Carneades, Critolaus, Diogenes, primi qui Romanis enotuerunt philosophi ab Atheniensibus missi Romam venissent.⁶ Tantopere enim iuvenes Romani violentam et rapidam Academici Carneadis facundiam, scitam et teretem Peripatetici Critolai eloquentiam, modestam et Sobriam Stoici Diogenis orationem admirabantur, ut neglecta M. Porcii Catonis auctoritate, qui antiqua Romanorum disciplina nutritus metuebat, ne a vetere morum severitate degenerarent et graecanica doctrina imbuti atque adeo corrupti magis ingenii excolendis literarumque usu exercendis, quam rebus strenue gerendis operam darent, semina philosophiae semel feliciter sparsa nunquam paterentur perire.⁷ Quare Romani Carthagine, Corintho, Numantia, florentissimis

Nos nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo operam curamque consumpsimus: et cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. Cf. Acad. I, 3. — Accedit quod tale et tam magnificum praeconium, quale est Tusc. Qu. V, 2, 5. 6. I, 26, 64 sq. II, 1, 4. 11. 19, 45. 24, 58. philosophiae nisi ab homine sancto quasi quodam Musarum spiritu afflato tribui non potuit. Vide J. A. Ernestium in dedicatione quam supra commemoravimus p. LXIII et Wyttenbachium in Bibl. Crit. Vol. I, P. III, p. 4.

³ Herder Ideen zur Geschichte der Menschheit. Tom. V. p. 287. sq.

⁴ Tusc. Qu. IV, 3, 5. 6.

⁵ Nec tamen nullum erat sapientiae studium. Cic. Tusc. Qu. IV, 3, 5. Sapientiae studium vetus id quidem, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim.

⁶ Prima philosophiae semina, sparsa ab exilibus Achaëis, in quibus fuit etiam Polybius, nobilissimo illo Senatus Consulto (a. 161 ante Ch.) extincta sunt, quod Gellius Noct. Att. XV, 11 servavit: C. Fannio Strabone, M. Valerio Messala coss. senatus consultum de philosophis et de rhetoribus latinis factum est: M. Pomponius praetor senatum consuluit. Quod verba facta sunt de philosophis et de rhetoribus, de ea re ita censuerunt, uti M. Pomponius praetor animadverteret curaretque, uti ei e re publica fideque sua videretur, uti Romae ne essent. Vide Casaubonum ad Sueton. de Clar. Rhet. 1.

⁷ Vide de hac legatione, quae a. 155 a. Ch. Romam venit, Gell. Noct. Att. VII, 14. Plin. Nat. Hist. VII, 30. suadente M. Porcio Catone ex urbe pulsa Plut. Cat. M. c. 22. Confer. F. G. van Lynden Disp. hist. erit. de Panaetio Rhodio, Lugd. Bat. 1802. p. 30. Westermann Gesch. der Bereds. in Griechenland

urbibus expugnatis atque eversis, maxima parte Asiae minoris armis superata, Macedonia subiecta, Graecia denique omnium bonarum artium procreatrice et quasi parente in provinciae formam redacta, quum interiorem cum Graecis familiaritatem contraxissent, literarum dulcedine ac suavitate frui coeperunt. Qui armis immortalem sibi gloriam pepererant viri generosissimi et illustrissimi, ii literarum quoque laude excellere volebant. Omnes illi Scipiones, Laelii, Tuberones, Scaevolae, Furi animos ad philosophiam appulerunt graecosque philosophos certatim ad se invitarunt.⁸ In primis autem P. Cornelius Sulla ex medio armorum strepitu perpetuoque bellorum tumultu expugnatis direptisque Athenis magnam optimorum librorum copiam Romam transferendam curavit.⁹ Omnes vero, qui ante Ciceronem de philosophia meruerunt, longe superavit L. Lucullus, qui quum adolescens toto pectore in philosophiae studia incubisset, ex Mithridatico bello domum reversus magnificentissimam in urbe et amplissimam bibliothecam condidit, in quo Musarum quasi quodam domicilio ac sede cum amicis, Romanis et Graecis totos dies meditando, colloquendo, disputando consumpsit.

Iam vero si quaeritur, ex tot et tam diversis philosophorum disciplinis quae Romanis ante Ciceronis aetatem maxime placuerit, Pythagorae sapientia paucos habuit sui amicos. Ea enim quae multis annis ante in Italia et Sicilia floruisset quum Ciceronis aetate fere tota extincta esset et pauca tantum exstarent, unde subtilior illius cognitio hauriri posset, praeterea autem placitorum suorum obscuritate perquam premeretur, si Ennium, latinae poesis patrem, et P. Nigidium Figulum et Vatinius exceperis, perpauca invenit, qui ipsius praecepta sequi vellent.¹⁰

Academiam, veterem illam, quum Lucullus, cui Cicero in Academicis Quaestionibus huius scholae defendendae partes attribuit, summo amore amplexus fuerit, tum in primis M. Terentius Varro vir suae aetatis longe doctissimus diligentissimo studio persecutus est;¹¹ ut nihil de Bruto et M. Pisone dicamus, quorum alter hanc potissimum philosophiam et dicendo et scribendo tuitus esse fertur, alter in quinto libro de Finibus Bonorum et Malorum et academicae et peripateticae disciplinae patrocinium suscipit. Media autem quae appellari Academia solet, ea propterea quod singulari in utramque partem disputandi arte non minus,

und Rom. T. I. p. 167 sq. T. II. p. 55 sq. Plura si quaeris invenies apud A. F. Verburgium de Carneade Romam legato. Ultraiect. 1827. Alia praeter hanc et quae supra dicta est, Epicureorum fuit eictio, quae facta narratur anno a. Ch. 173. coss. L. Postumio Albino M. Popilio Laena, vel a. 154 coss. Q. Opimio L. Postumio Albino. V. Athen. XII. p. 547. A. et Perizonium ad Aelian. Var. Hist. IX, 12.

⁸ Cic. de Orat. II, 37: Et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores aut auctoritate graviores aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt.

⁹ Bibliothecam Apelliconis Teii, ut hoc utar, in qua pleraque Aristotelis et Theophrasti scripta servabantur, Sulla Romam transferri iussit eiusdemque bibliothecae praefectum, Tyrannionem grammaticum Romam secum duxit. Vide Raph. Kühnerum de M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes meritis. Hamburg. 1825. p. 13.

¹⁰ De Nigidio, uno suae memoriae quum universae doctrinae copia, tum in primis mathematices studio clarissimo, sed perobscuro scriptore vide Gell. Noct. Att. X, 11. XIX, 14; in Vatinius eiusque sapientiam vehementer invehitur Cicero ipse in Vatin. 6.

¹¹ De M. Terentio Varrone, maximo literarum Romanarum, quae in cura et diligentia positae sunt deore eiusque cum Cicerone et Bruto familiaritate vide Ac. pr. I, 3, ad Att. XIII, 12, 16., ad Div. IX, 8. Graece et latine de philosophia scripserat, Cic. Ac. pr. I, 2, 3. Augustin. de Civ. D. XIX, 1. In enumeratione philosophorum Romanorum, quam Quintil. Inst. Or. X, 1, 23. et Seneca Ep. 100, 1. 8. instituunt, ea de causa non nominatus esse videtur, quod illi non de ipsa philosophia, sed de elocutione philosophorum loquuntur.

quam quod certi nihil statueret, sed de omnibus rebus dubitare doceret, sobriae Romanorum prudentiae dici vix potest quantum placuerit. Videbatur enim una ad adipiscendam eloquentiae laudem summosque in re publica honores obtinendos viam munire. Hanc igitur praeter Philonem, qui Graecia bello Mithridatico devastata Athenisque foede direptis Larissa Romam fugerat, Cicero ipse ad summum auctoritatis splendorisque gradum evexit.

Omnes vero, qui antiquam morum disciplinam aut servabant aut servare se simulabant, stoicam rationem mascula quadam praeceptorum vi et gravitate pariter ac magnificentia sibi commendatam colebant. Ex eorum numero summi erant iuris consulti, qui hanc philosophiam ad civitates prudenter gerendas maxime idoneam et ad ius dicendum aptissimam habebant. Q. Mucius Scaevola, Servius Sulpicius Rufus, Tubero, alii.¹²

Minorem peripatetica philosophia laudem tulit. Aristotelis enim scripta cum Romanis ad vitam omnia et usum referentibus partim obscuriora viderentur partim subtiliora, paucorum tantum animos et mentes alliciebant. Quod tamen non ita intelligi volo ac si nullos invenerint legendi studiosos vel imitandi cupidos. Quis enim non ipse cogitaret de M. Crasso, M. Catone, M. Pisone, illustrissimis viris. Epicuri denique philosophia, ut quae illecebrarum blanditiis molliores homines et elegantiores ad se invitaret multoque et ad cognoscendum facilius et ad exercendum commodior esset, quum omnes eos alliceret, qui sibi vivere et post tristissimas bellorum civilium tempestates a Sulla et Mario civitati illatas corporis animive voluptatibus frui, quam negotiosam et molestam vitam agere mallent, quid mirum est si multos adepti est, qui in ea una acquiescerent et praeter Epicurum quemquam recte sapere negaret. Accedit quod Epicurei primi fuerunt, qui disciplinam suam latinis literis illustrarent: inter quos graecae sapientiae romanos interpretes cum doctrinae subtilitate, tum disserendi facilitate T. Lucretius Carus ceteros omnes in elegantissimo illo carmine superavit.

Latissimos igitur dixerit quispiam fuisse philosophiae campos, fertilissimos agros, laetissimas segetes, magnam praestantissimorum virorum agros arantium, semen spargentium, messem facientium multitudinem, optimam denique optimarum literarum copiam et ubertatem: sed si rem diligentius exploramus, facile eo adducimur ut omnia alia sentiamus. Translata quidem erat philosophia et in Latium deducta, sed ut herba aliqua peregrina, sub alio sole nata et in longinquas terras tanquam in aliquod exilium pulsa, quae dici vix potest quanto veteris patriae amore teneretur et antiquae suae sedis desiderio languesceret. Nullas illa novas in Italia radices egit, nullae novae disciplinae a Romanis inventae, nullae novae in nova patria philosophorum scholae exortae, nullae denique difficiliore inquisitiones subtilius institutae. Aliis iisque non admodum indoctis totum hoc displicebat philosophandi munus, alii id non tam reprehendebant, si remissius fieret, sed non tantum in eo studii ponendum esse arbitrabantur, alii denique, qui vel mediocriter graece docti erant, spreto latinis literis ipsos Graecorum libros legere malebant,¹³ longe autem plurimi totam illam operam ut in Graecorum, victae

¹² Vide Pomponium de origine iuris (Digest. I, 2, §. 35). Hugo Röm. Rechtsgesch. p. 626 sq. p. 630 sq. Beier. ad Cic. de Off. I, 6, 19. Non enim vel nostrae aetatis iuris consultis non potest placere summa Ciceronis industria, qua philosophiam non solum eloquentiae admovit, sed eam cum iuris civilis scientia rei publicae sapienter gerendae arte coniunxit. Vide quae copiose simul et ornate ea de re Crassum disputare fingit de Or. I, 38—41. Egregie post Jac. Perizonium de hac Ciceronis eruditione et industria disseruit Henr. Const. Cras, Lugduno-Batavus in dissertatione iuridica Lugduni Bat. a. 1769 edita, in qua specimen iurisprudentiae Ciceronianae examinanda oratione pro A. Caecina habita exhibet.

¹³ De Fin. I, 1, 1. Acad. Qu. I, 2, 4.

gentis, literis collocatam, ac melius otiosis hominibus et elegantioribus relinquendam non suae dignitatis, nec omnino romanae gravitatis esse putabant. Ita factum est, ut essent quidem qui philosophiam ad vitam publicam et privatam bene instituendam utilissimam haberent ex eaque plurima civitatum bene regendarum praesidia repeti posse existimarent, qui vero acriore animi impetu et desiderio quodam ad illius studium raperentur, pauci et vix pauci invenirentur.

Quae omnia si recte disputata sunt, quotusquisque est qui non intelligat, quanta laude digna sit Ciceronis prudentia ac sollertia, qua primus philosophiam e Graecia traductam, neque tamen ab omnibus receptam inter cives suos propagare instituerit et confirmare. Operae igitur pretium videtur de summis immortalis viri in philosophiam meritis inquirere atque quid sibi debeat, quid Graecis acceptum referat, accuratius examinare.¹⁴

De qua re qui subtilius disserere in animum induxerit, is a prima Ciceronis pueritia incipere et id maxime quaerere debet, quos primos in pueritia duces habuerit quibusque cum ceterarum, tum in primis graecarum literarum praeceptoribus usus sit et magistris. Optimos enim eum in omni genere literarum habuisse doctores inde suspicamus, quod quum domi patris, qui aetatem fere in literis egit,¹⁵ recta disciplina et institutione eruditus esset, adolescens Romam delatus est eo tempore, quo in illo totius orbis terrarum capite optimi omnium doctrinarum magistri florebant. Nam ut de L. Gallo, sive Plotio sive Plotino,¹⁶ primo Ciceronis in adolescentia doctore, homine obscuro taceamus, nec de Scaevolis dicamus, altero augure, principe iuris consulto eodemque rerum civilium peritissimo,¹⁷ altero pontifice, viro et morum sanctitate et iuris legumque peritia longe

¹⁴ Iuvenilem in ea re examinanda operam posuit qui postea optime de Cicerone meruit Raph. Kühnerus in singulari libro quem supra diximus. Vitam Ciceronis scripserunt praeter veteres quos Westermannus in *Geschichte der Beredsamkeit* P. II. p. 154 sq. recenset, Middletonius in *Life of Cicero*, qui liber in nostram linguam translatus et Gedani 1792 editus est a Seidelio, G. Drumannus in *Geschichte Roms* T. V. p. 216—716. T. VI. p. 1—380. Abeken in *scriptione scholastica de M. Tullii Ciceronis vita* a G. Drumanno conscripta et Osnabrug. 1848 edita. Confer Bernhardy *röm. Lit. Gesch.* p. 596. ed. alt. Orelli *Onomast. Tull.* T. I. p. 1—130. T. II. p. 598—613. H. M. Flemmer *Annales Ciceroniani*, Hafn. 1848.

¹⁵ De Legg. II, 1, 3.

¹⁶ De quo Cicero ad M. Titinium in *deperditis libris epistolarum* apud Sueton. de *clar. rhetor.* 2. Vol. III. p. 34. ed. Wolf. ita scribit: Equidem memoria teneo pueris nobis primum latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem quum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. Hordearius ille rhetor vel *κρίσιμος* dicebatur h. e. inflatus ac levis et sordidus ad Dinarchi similitudinem, qui *κρίσιμος Δημοσθένης* appellatus est. Vide Wolfium l. l., Ruhnkenium ad Muret. Vol. I. p. 367. A. Huius Plotii Cicero meminit pro Archia 9, 20. cuius ingenio Marius putaret ea quae gessisset posse celebrari.

¹⁷ Q. Mucius Q. F. Scaevola, doctus adolescens iam aetate quaestorius, de Rep. I, 12, 18., vulgo augur dictus, peritissimus iuris idemque percomis habitus, Brut. 58, 212. (ita enim, non patronus legendum, quod Rivio placuit. Comes enim eius et eximia suavitas, quippe cuius ianua et vestibulum in eius infirmissima valitudine affectaque iam aetate maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebrabatur, laudatur de Or. I, 44 extr. 55, 234); ipso Cicerone Brut. 26, 102 teste in oratorum numero non fuit, cui tamen senatus breviter impoliteque dicenti maximis de rebus assensus est, de Or. I, 49, 214.; artem suam indotatam et incomptam aliis verborum dote locupletandam et ornandam reliquit, una iuris civilis scientia contentus, quae iam pridem in ipsius familia sine ulla eloquentiae laude erat, de Or. I, 10, 39. Eundem Vell. Pat. II, 9, 2 iuris scientia quam proprie eloquentiae nomine celebriorem fuisse narrat; vir insuper fuit summae fortitudinis et constantiae, qui Sullae summum imperium tenenti bellum pro Mario in senatu inferre non dubitavit. Val. Max. III, 8, 5.

praestantissimo,¹⁸ propterea quod adolescentulo duces ad futura fori negotia sanctissimumque senatus consilium, non ad Musarum delubra fuerunt, et in solis Graecis subsistamus, A. Licinium Archiam praeceptorem habuit, qui princeps ei ad suscipiendam studiorum rationem extitit.¹⁹ Superatis literarum rudimentis ad philosophiae studium adductus est a Phaedro Epicureo, quem ad C. Memmium (ad Div. XIII, 1) scribit, antequam Philonem cognoverit, valde ut philosophum, postea tamen ut virum bonum et suavem et officiosum sibi probatum fuisse.²⁰ Iuvenis totum se Philoni tradidit, qui primo bello Pontico cum nobilissimis Atheniensibus domo profugus Romam venerat. Stoicae disciplinae praecepta a Diodoto accepit, qui multos annos domi eius vixit in eaque mortuus est: a quo quum in aliis philosophiae partibus, tum inprimis in dialectica, quae quasi contracta et constricta eloquentia, eloquentia dialectica dilatata habebatur, exercitum se esse narrat. Aliquanto post Athenas profectus Antiochi, clarissimi veteris academiae philosophi ductu et auspiciis studia numquam intermissa a primaque adolescentia culta et semper aucta renovavit. Denique Zenonem Epicureum cum Attico suo frequenter audivit totaque Asia peragrata quum Rhodum venisset, Posidonio Stoicorum principi plurimum utilissimae operae dedit. Dicendi magistrum Romae habuerat Molonem Rhodium eundemque in ea, quam modo diximus Rhodensi commoratione iterum audivit.

Ab his igitur felicissimis initiis profectus quum causis dicendis, patrociniis obeundis, muneribus administrandis diu multumque de civibus suis meritis ad summos rei publicae honores elatus esset, atque consul factus urbem a nefariis Catilinae consiliis et instante pernicie servasset, quam tamen nihilominus patriae proxime imminens augurabatur, postquam omnia exilii mala et gravissimos domus suae casus perpessus est, magna quasi tempestate exagitatus, post varios casus, post tot discrimina rerum, tandem ad philosophiam.

¹⁸ Q. Mucius P. F. Scaevola, pontifex maximus, specimen temperantiae et prudentiae, de Nat. Deor. III, 32, 80, unus civitatis et ingenio et iustitia praestantissimus, Lael. I, 1. homo omnium disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus et oratione maxime limatus atque subtilis, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus, de Or. I, 39, 180., verbis ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus, Brut. 39, 145. Illius iuris scientia praeterea laudatur de Off. I, 32, 116. de Legg. II, 19, 47. Gell. Noct. Att. III, 2. Vellei. Patere. II, 26, 2. cum prudentia de Off. III, 17, 70. Ius civile primus constituit, generatim in libros octo et decem redigendo Fr. 2. §. 41. Dig. I, 2.; cum pluribus senatoribus ante simulacrum Vestae trucidatus, de Nat. Deor. III, 32, 80. ad Att. IX, 15, 2. Diod. Sic. X. p. 210 ed. Wessel. aut si Appiano B. C. I, 88. fides habenda est, ἐν τῇ βουλῇ interfectus.

¹⁹ Cic. pro Arch. 1. De A. Licinio Archia confer praeter multos illos nobilissimae pro ipso habitae orationis editores C. D. Ilgenii Animadverss. hist. et crit. in Cic. orationem pro Archia in eiusdem Opusce. var. philolog. T. II. P. I. §. 2. p. 9. sq. et Orelli Onomast. Tullian. P. II. p. 342., de ea quaestione, num plures fuerint Archiae poetica laude insignes F. Jacobsii Comment. in Antholog. T. XIII. p. 858. sq.

²⁰ Quum hoc in Romanorum more positum esset, ut pueri vel adolescentes studia sua a poetis non modo legendis verum etiam imitandis auspicarentur, Cicero quoque puer in versibus struendis carminibusque pangendis vires exercuit. Inter iuvenilia illa poeticae facultatis conamina primum refertur Pontius Glaucus, carmen versibus tetrametris conscriptum, Plut. Cic. 2., deinde elegia, Tamelastis appellata, Serv. ad Virg. Ecl. I, 58., tum maius aliquod carmen epicum, C. Marii, Ciceronis municipis, memoriae dedicatum, ad Att. XII, 49, 1. de Legg. I, 1, 1., Arati denique Φαινόμενα et Διοσημέτα in latinum sermonem conversa, quorum fragmenta adhuc exstant, alia Tacemus de reliquis, quum ne veteres quidem poetam Ciceronem magni facerent. Quintilianus Inst. Orat. II, 1, 24. carminibus, inquit, utinam pepercisset, quae non desierunt carpere maligni. Conf. Drumannum l. l. T. VI. p. 681—684. T. V. p. 221. J. M. Frantzen de Cicerone poeta, Abo 1800. van Heusde Cicero φιλοπλάτων. Ultraiect. 1836. p. 25 sq. p. 34 sq.

tamquam in tutissimum portum, senex confugit.²¹ Quem cives e foro, e senatu, e patria iuvenem expulerant, eum senem doctissimi quique Graecorum in suam amicitiam receperunt. Nec opus erat in longinquas terras abire. Quos olim in Asia, quos in Graecia, quos Athenis quaesiverat, eos Romae habebat, in suas secum villas ducebat; nec vivos solum, verum etiam mortuos: nam qui multo ante vita defuncti erant, iis ut aequalibus utebatur suaque aetate viventibus. Congesserat enim locupletissimas librorum ex quovis literarum genere copias, inter quos habitaret: ex iis per honestissimum otium uberrimos diligentiae et assiduitatis fructus modo ipse percepit, modo aliis impertivit, id maxime agens, ut nisi qua causa gravior obstaret, nullum philosophiae locum esse pateretur, qui non latinis literis illustratus esset.²² Nihil enim magnificentius Romanisque hominibus gloriosius duxit quam Graecis de philosophia literis non egere. Neque tamen has hoc loco recensere attinet, sed eo redire, de quo tota nostra disputatio instituta est, ut fontes, ex quibus omnis Ciceronis sapientia manaverit exploremus exploratosque et certo ordine dispositos singulos percenseamus.²³ Sequuntur igitur scriptores, ex quorum thesauris Cicero suas copias congegessit, literarum ordine dispositi, addita, ubi opus videbatur, brevi de singulorum vita et scriptis adnotatione.²⁴

Antiochus Ascalonita, Academicorum ultimus, quos primo secutus est, deinde secus statuit, Ciceronis doctor, Luculli familiaris. Auctor fuit singularis cuiusdam libelli, quem Sosum inscribit, adversus Philonem, cum ab recentiore Academia etiam ille descisceret, integritatem Academiae vindicaturus. Acad. pr. II, 4, 22. Mortuus est a. 69 a. Ch.²⁵

²¹ Nempe ut solatium sibi praeretur in rebus adversis: hoc enim maxime a philosophia postulabant Romani interque eos Cicero, qui tamen hoc genus solatii plus semel queritur haud semper sufficere. V. ad Att. XII, 46. ad Div. V, 15.

²² Vide longum librorum indicem quem Cicero non sine aliqua ostentationis specie exhibet de Div. II, 1.

²³ Monendi sunt Ciceronis amici et admiratores maximas inde in investigandis fontibus oriri difficultates, quod in singulis argumentis pertractandis non unum semper ille sequitur auctorem, sed ex pluribus quae placuerint et maxime veri similia visa fuerint decerpit. Quorum opera longe plurima constat iniuria temporum aut tota periisse aut corrupta et mutilata ad nostram aetatem pervenisse. Accedit quod fontes, ex quibus hausit, aut omnino reticet aut obiter modo indicat aut tum demum laudat, ubi ab eorum rationibus discedit: sequitur igitur, ubi nulla auctorum nomina commemorantur, ibi tacitum eum eorum vestigia premere videri. Vide Lydenium l. I. p. 102. Kühnerum l. I. p. 88. Vitium istud ab aliis quoque commissum est. Plin. Nat. Hist. I. Praef.

²⁴ Non omnes omnino philosophi, ex quorum fontibus Ciceronis sapientia fluxit, quosque ipse de Div. I, 39. nominasse satis habuit, in numerum venire possunt, sed ii tantum, quibus ipse additis nominibus sua se debere profitetur. Ii igitur silentio praetereundi esse videntur omnes, qui ornandae orationis causa, non ad demonstrandas et confirmandas suas aut ad refutandas aliorum sententias laudantur. Quare nihil dicendum esse arbitror de poetis Graecis, quibus saepe ita utitur, ut eorum versibus orationem variet et distinguat quasi quibusdam verborum et sententiarum insignibus. Neque alia ratio est philosophorum, quibus universis, nullo nominatim laudato suam eruditionem acceptam refert, sive Peripateticorum, a quibus multa de civitate bene constituenda, informanda, temperanda in libris de re publica sumpsit, sive Pythagoreorum, quibus pauca illa debere videtur, quae in libro de senectute 21, 78. de animis ex divina mente delibatis disserit, vide Gernhard. ad h. l. Eadem sententia de Div. I, 49, 110 Tusc. Qu. V, 13, 38. iterum pronunciata est. De Stoicis universis aliter statuendum erit.

²⁵ Plures Antiochi fuisse dicuntur pari literarum laude excellentes, quorum scripta interierunt omnia. Cf. Fabric. Bibl. Gr. X, p. 506. Ascalonita hic non modo Ciceronis, sed Varronis etiam aliorumque praeceptor Athenis, Alexandriae, Romae habitabat.

Ab illo pleraque sumpta esse videntur, quae in primo libro Academicorum, usque ad c. 12 disputantur, quibus tamen nonnulla admixta sunt Platonica. Eidem debentur, quae ab initio libri secundi leguntur. Doctrina Antiochi Ac. pr. II, 19 sq. copiosius exposita. Peripateticorum sententia de finibus bonorum et malorum, quae in libro V. de Finib. explicata est, Goerenzio in Introduct. ad hos libros p. XXVII. tota, Kühnero in l. l. maximam partem ex Antiochi libris fluxisse videtur. Vide de Fin. V, 26, 77. 29, 86. — Antiochus nominatur Tusc. Qu. III, 25, 59.

Antipater Tarsensis, Stoicus, Panaetii magister, adversarius Carneadis, duos libros *περὶ φύσεως* scripsit, floruit ineunte seculo altero a. Ch.²⁶

Complura in altero libro de Nat. Deorum, in libro primo de Divinatione, non pauca in libris de Officiis. Vide de Off. III, 15, 63. III, 23.

Antipater Tyrius, Stoicus, scripsit *περὶ καθήκοντος*. Floruit Ciceronis aetate, paullo ante mortuus est, quam Cicero filius Romam venit, familiaris Catonis minoris teste Plut. Cat. 4. pr.²⁷

Non pauca in libro tertio de Officiis ex libro *περὶ καθήκοντος*.

Aristo Chius, Stoicus, Zenonis discipulus, floruit a. 275 a. Ch.²⁸

Libro eius de Senectute Cicero in suo libro de eodem argumento usus esse videtur. Quod probabile fit ex loco de Sen. 1, 3, ubi non Tithono, quod Aristo fecit, sed M. Catoni sermonem tribuit.

Aristoteles Stagirita, natus a. 384, mortuus a. 322 a. Ch.

Aristotelica multa admixta inveniuntur libris de Nat. Deor., ut II, 16. 17., multa integra ex Aristotele desumpta. Quae tamen III, 15 et in iis quae praecedunt disputantur et vulgo ab Aristotele profecta habentur, ea non Aristotelis, sed Carneadis esse Tennemannus in Gesch. der Philos. T. IV, p. 351 demonstrare conatus est. — De Divin. I, 25. 28. 38. II, 62 ex Aristotelis *περὶ ἐνυπνίων* c. 3. — Lib. V. de Finib. — De Amicitia c. 5—10. 18. 21. 22. ex Aristotelis Ethic. VIII, 1—3. IX, 1—4. 11. — De Rep. I, 28. — Lib. III. de Legibus, velut 2, 4 ex Aristot. de Rep. II, 10. Pol. III, 4.

Carneades Cyrenaicus, Academiae tertiae auctor, homo omnium in dicendo acerrimus et copiosissimus, de Or. I, 11, unus ex legatis Atheniensium, floruit intra a. 218—130 a. Ch., alter quasi Socrates, qui non scribendo aequales docere voluit, sed docendo. Itaque quum

²⁶ Ridicule *Καλαμοβόας* dictus, ut qui calamis, non voce clamaret. Cf. Plut. de garrulitate 23. V. Orelli Onomast. Tullian. T. II. p. 44. Lucullum in Asiam secutus est, germanissimus Stoicus, si pauca mutasset, Ae. pr. II, 43. ad Att. XIII, 19. de Nat. Deor. I, 7. Hülsemann. in Comment. ad Academ. p. 451. Eblum in scriptione scholastica Offenburgi 1847 edita p. 9 sq.

²⁷ Panaetium reprehendisse dicitur, quod in utilitatum praeceptis quaedam omiserit. Vide Beier. ad Cic. de Off. II, 24, 86. De pluribus Antipatris cum aliis disputavit Jacobs. in Animadv. in Anthol. Gr. Vol. III. P. III. p. 847.

²⁸ Modo ὁ *Σειρήν* cognominatus, modo *φάλλαντος* sive calvus. Monendi sunt tirones ne hunc Aristonem Chium cum Aristone Ceo confundant, Peripatetico, id quod propter similitudinem verborum *Χῖος* et *Καῖος* ipsis veteribus accidisse scimus. Cf. Aristoph. Ran. 997 et Sintenis ad Plut. Themist. 3, p. 21.

nihil ipse scripserit, qui eius sapientiam cognoscere voluerunt, libros discipulorum adire debebant. Ex quorum numero, qui doctoris placita scriptis celebravit, Clitomachus est.²⁹

De Nat. Deor. III, 15, si Tennemanno l. l. fides habenda est. Praeterea tota Cottae inde a cap. 17 ad c. 25 disputatio. Lib. II. Confutatio doctrinae Stoicorum, cf. de Div. I, 4 in. 7. 13, II, 3. — Liber de Fato 11. 14. — Lib. IV de Fin. Bonor. et Malor. Impugnatio Stoicorum, defensio Peripateticorum. Cf. Goerenz, Introd. ad hos libros p. XXV. sq. Liber III Tusc. Qu. In consolatione enim Clitomachi, quam ad captivos cives suos eversa Carthagine misit, Carneadis erat disputatio, quam ille in commentarium retulit. Tusc. Qu. III, 23, 54. — Lib. V, 29, 83, ubi demonstratur virtutem satis habere ad vitam beatam praesidii.³⁰

Chrysippus Solensis, Cilix, successor et discipulus Cleanthis eoque mortuo Stoicorum princeps, senex mortuus a. 207. a. Ch., acutissimus, sed in dicendo exilis et ieiunus, veteris Stoeae placita adeo excoluit et perpolivit, ut nihil fere post eum immutatum sit. Nam Diogenes Babylonius et Antipater Tarsensis, qui Chrysippo successerunt, etsi plurimum auctoritate valebant, tamen doctrinam scholae neque firmasse, neque amplificasse videntur.³¹ Septingentos libros scripsisse fertur.³²

Multa in doctrina de Natura Deorum, maxime in altero libro e Chrysippi libro *περὶ προνοίας*, quem Cicero de Nat. Deor. II, 6., quamquam acerrimo fuerit ingenio, tamen ea dixisse scribit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videatur. II, 14. 24. — De Divin. Lib. I. Stoicorum doctrina de hoc philosophiae loco ex Chrysippi libro *περὶ χρησµῶν*. Cf. Davis, ad Cic. de Div. II, 65. — De Fato, partim ex quattuor libris *περὶ δυνατῶν* contra Diodorum scriptis, imprimis c. 4, 6-8. — De Fin. lib. II. Refutatio doctrinae Epicuri ex Chrysippi decem libris *περὶ τοῦ κελοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς*, quos ad Aristocreonem scripsit. Diog. L. VII, 202. Cf. Goerenz, Introd. p. XXV. Lib. III. de Fin. Ratio Stoicorum e libro *περὶ τελῶν*, cf. de Fin. III, 20, 67. II, 28. — In tertio libro Tusc. Qu. 14. 24. 28. Chrysippum tacitus sequitur. Verba enim V, 14, 29. laudata ex deperdita Euripidis tragoedia, quae Plut. Mor. p. 112. D. servavit (cf. Eurip. Fragm. p. 478 ed. Brek.), et dictum Anaxagorae e Chrysippo transtulit, non addito

²⁹ Successionem, qua Academicos sequitur, exhibet Cic. Ac. pr. II, 6.; senex mortuus est nonagenarius. De qualibet re ita disputare solebat, ut eam poneret primum, deinde everteret: unde Clitomachus teste Cic. Ac. pr. II, 45. numquam se intelligere potuisse affirmabat, quid Carneadi probaretur. Confer de nobilissimo illius dicto frui iis rebus, quas primas natura conciliavit Ac. pr. II, 42. de Fin. V, 7, 20. Nihil ab eo scriptum esse affirmant Diog. L. IV, 62. I, 16. Plut. de Alex. Fort. I, 4. Vide Fabr. l. l. III, p. 166 sq. Brucker. l. l. I. p. 759 sq. VI. p. 237 sq. Tiedemann, Geist der speculat. Philos. Vol. II. p. 572 sq. M. Roulez Comment. de Carneade Cyrenaeo, philos. Acad. 1825.

³⁰ Praeter Carneadem Bruto quoque amico et veteris Academiae studioso, qui librum de virtute scripsit, multa debet. Tusc. Qu. V, 1, 1. de Fin. I, 3, 8. V, 13, 39.

³¹ Stoa enim solo Chrysippo nitetur. Diog. L. VII, 183. *φασὶν ἐπ' αὐτοῦ λεχθῆναι*, — *εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἄν ἦν Στόα*. cf. Gell. N. A. VI, 2.

³² Pater Tarsi habitaverat, deinde Solos se contulit, Strabo XIV, p. 671., senex aut casu perit aut, quod Lactant. de Falsa Sapientia III, 18 tradit, ipse sibi mortem conscivit. Chrysippum in eloquendo negligentem fuisse atque adeo atticam dialectum temere immutasse constat plurimis veterum testimoniis. Atque id commune omnium qui ista aetate vixerunt philosophorum vitium fuisse Seneca affirmat Ep. 100, 3. Oratio sollicita philosophum non decet. Scriptorum eius index est apud Diog. L. VII, 189 sq. sed valde confusus ille et in extrema parte, mutilus. Brucker I, p. 974 sq. Tiedemann, Geist etc. Vol. II, p. 440 sq. et 462 sq. Ritter, Geschichte der Philos. Vol. III, p. 511 sq. Baguet de Chrysippi vita, doctrina et religione, Lovanii 1822. Petersen, philosophiae Chrysippeae Fundamenta. Altonae 1827.

nomine. V. Bakium de Posidonio p. 204.³³ Lib. IV. Tusc. Qu. cf. IV, 5, 9. ubi Chrysippus et Stoici nominantur, h. e. Chrysippus prae reliquis Stoicis,³⁴ praeterea IV, 10, 23, 24, 53, 14, 33. — In libro de Amicitia plura ex Chrysippi libris *περὶ φιλίας* et *περὶ τοῦ διαζέειν*. V. Lynden de Panaetio p. 108 sq. — In libris de Legibus longe plurima ex Chrysippi libro *περὶ νόμων* derivata. Argumentum libri primi totum ex Chrysippo sumptum. Digest. I. tit. 3. l. 2. de Legg. II, 4, 8, 9, 10. Multae praeterea Chrysippi sententiae, veluti quae apud Plut. de Stoicorum Repp. p. 1011 C. ex tertio Chrysippi libro *περὶ θεῶν* et ex eiusdem *φυσικαῖς δόξαις* leguntur, iis simillimae sunt, quae Cicero eadem de re disputat, aut etiam pares. Vide quae accuratissime, ut solet, de hoc loco exposuit Goerenz, in introd. saepe laudata p. XXVII sq.

Cleanthes Assius, obscuro loco natus, quasi maiorum gentium Stoicus, Zenonis auditor Ac. pr. II, 23. Athenis vixit, multorum ex omni genere philosophiae librorum auctor.³⁵

Multa de Natura Deorum, quae sunt in libro altero, veluti in c. 5, 9, 15, add. c. 24. Plura notavit Wytttenbachius in select. schol. ad Cic. de N. D. prooem. — Tusc. Qu. III, 32, 77 Cleanthes commemoratur. — Nobilissimam philosophiae laudationem, quae est Tusc. Qu. V, 2, 3. non a Cleanthe profectam, sed imitationem Posidonii esse suspicatur Bakius de Posid. p. 36 et p. 194, cuius luculenta eius rei testimonia Seneca ep. 78 et 90, servavit. Sic etiam Platonica multa admixta esse videntur, cf. Kühner. l. I. p. 135. Ex eodem fonte illa sapientiae laus fluxit, quae est de Legg. I, 24, 62.

Clitomachus Poenus, Carneadis auditor et successor in Academia, homo et acutus ut Poenus, et valde studiosus ac diligens. Ac. pr. II, 31. Carneadem nihil ipsum scripsisse supra demonstratum est: eum igitur ubi Cicero sequitur, Clitomachi libris usus esse putandus est. Clitomachus quum nihil ipse invenerit, sed ubique magistri vestigia presserit, Cic. Or. 16, 51 satis habuit quae ille docuerat in literas redigisse. Cf. Sext. Emp. adv. Math. IX 182—192.³⁶

Crantor Solensis, in Academia vetere vel inprimis nobilis, Tusc. Qu. III, 6, 12. Athenis docens, nihil ab Aristotele magnopere dissentiens, de Or. III, 18 m.³⁷

³³ Nec tamen anxie Chrysippi vestigia premit. Aliter enim, ut hoc utar, Tusc. Qu. III, 22, 52 atque in graeci philosophi libro *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἰσαγωγῆς* factum erat, causam explicat, cur aegritudines tempore sedentur.

³⁴ Similiter Hom. II, τ, 63. *Ἐκτορι μὲν καὶ Τρωσὶ τὸ κέρδιον*. Aesch. Choeph. 145. *ξὺν θεοῖσι καὶ Γῆ καὶ Διῷ*. Cf. I. F. Gronovium ad Liv. III, 25.

³⁵ ὁ φρεάντης appellatus, Diog. L. VII, 168. *οὗτος πρῶτον ἦν πύκτης*, senex fame perire voluit. Summam laudem non philosophicis libris tulit, sed praestantissimo hymno in Iovem, qui est apud Stob. Ecl. phys. Vol. I. P. I. nr. 12. p. 30 sq. ed. Heeren., in quo edendo, interpretando, explicando, auctori suo vindicando nostra aetate plurimum utilissimae operae collocaverunt C. F. Mohnicke (griechisch und deutsch, Greifswalde 1814), Schwabe Specimen theologiae comparativae, exhibens Cleanthis hymnum cet. Jenae 1819, et Petersen Cleanthis Stoici hymnus in Iovem auctori suo vindicatus, Hamburg. 1829. Cf. de Cleanthe Brucker Vol. I. p. 972. Ritter, Gesch. der Philos. Vol. III. p. 509.

³⁶ Patrio sermone Hasdrubal sive Asdrubas appellatus, quadraginta librorum scriptor Diog. L. IV, 67. Quos Cicero ipse se legisse indicat, hi sunt: De sustinendis assensionibus libri IV. Ac. pr. II, 6. Consolatio Carthagine eversa ad captivos cives suos scripta, Tusc. Qu. III, 23, 54. Liber singularis ad C. Lucilium et de iisdem rebus ad L. Censorinum missus. Ac. pr. II, 32. Cf. Fabric. III. p. 68. et Brucker. Vol. I. p. 771. sq.

³⁷ Crantor una cum Chrysippo est apud Horat. Ep. 1, 2, 4. Scripta eius interierunt omnia, inter quae amplissimos quoque commentarios in scripta Platonis, praeceptoris sui confectos interiisse maxime dolemus. Diog. L. IV, 5, 25.

Lib. III Tusc. Qu. ex Crantoris libro *περὶ πένθους* s. de luctu, quem de morte filii ad Hippoem misit. Vide F. Schneiderum in *Zimmermann Zeitschr. für Alterthumsw.* 1836, nr. 104 sq. Goerenz. ad Ac. II, 44, 135. Omnia quae Cicero sui consolandi et erigendi causa scripserat in libro Consolationis, quem interiisse dolemus, ab eodem Crantore deducta fuisse videntur, a quo Plutarchi Consolatio ad Apollonium missa. Vide Plut. Mor. T. VII. p. 316 ed. Hutten et confer Wyttenb. Animadvers. p. 698. 714. Platoniorum interpres fuisse dicitur. v. Procul. in Tim. p. 24.

Cratippus Mitylanaeus, Peripateticus, Ciceronis familiaris et eius filii praeceptor, summis Peripateticis par, de Off. II, 2, 8. ad Div. XII, 16.

Paucula quaedam in libro I de Divinat., ut 11, 52.

Diodorus Car, ex disciplina Megarensium, valens dialecticus, Cronus cognominatus.³⁸

Eo Cicero usus est in libro de Fato.

Diogenes Babylonius, vulgo Stoicus dictus, ad quem disciplina a Zenone transiisse videtur, Chrysippi auditor, Carneadis in dialectica praeceptor de Or. II, 38, Ac. pr. II, 30., qui inter legatos ab Atheniensibus Romam missis supra dictus est.³⁹

Nonnulla in libro primo de Divinatione, v. c. I, 3, 38, et in libro tertio de Finibus, 10, 33. 15, 49. Comparanda sunt quae Cicero de Fin. III, 5—8, 10, 13, 20 disputat cum iis quae a Diog. L. VII, 84—131 traduntur, cf. Stob. Ecl. phys. II, 166—184. Plut. adv. Stoic. p. 1063. Non pauca denique in libris de Officiis, v. Beier. ad Cic. de Off. III, 12, 51.

Epicurus Atheniensis intra annos 342—270 a. Ch.

Lib. I. de Nat. Deor. In exponenda Epicuri ratione de natura Deorum compluribus philosophi libris usus esse videtur, primum libris *περὶ φύσεως*, deinde libris *περὶ ὁσιότητος ἢ Ἡγησιανᾶς*, quos laudat de Nat. D. I, 41., tum in explicanda Epicuri doctrina de anticipatione, quae *πρόληψις* dicitur, h. e. antecepta animo rei cuiusdam informatio, de Nat. D. I, 16., Epicuri libro *περὶ κριτηρίων ἢ κανῶν* inscripto. Saepe ipsa Epicuri verba affert, ut de Nat. D. I, 17, ubi latine reddit quae apud Diog. L. X, 139 graece leguntur.⁴⁰ — Lib. I. de Finibus, cf. I, 5.

³⁸ *Διαλεκτικός* ap. Strab. XVII, p. 838, *διαλεκτικώτατος* ap. Sext. Emp. adv. Grammat. I, p. 310., sapientiae dialecticae professor a Plinio Nat. Hist. VII, 53. appellatus, qui hanc suam dialecticam artem quinque quas habuit filiabus quasi hereditate reliquisse fertur. Croni cognomen aut ab Apollonio Crono magistro accepit, Strabo l. l. et XIV. p. 658, aut Stilponi debuit: cui cum ad quaestionem aliquam ludicram diu eunetatus respondisset eaque de re ab ipso ludibrio habitus esset, pudore mortuus esse dicitur. Diog. L. II, 111. Vide de Diodoro Fabric. III, p. 559. IV, p. 378. Brucker I, p. 116. Confer F. Deyeksium, de Megariorum doctrina. Bonnæ, 1827. p. 64 sq.

³⁹ Magnus et gravis Stoicus de Or. II, 38, senex octoginta annorum mortuus est, Luc. Macrob. 22., laudatus a Cicerone de Leg. III, 5, 14. Hic enim illo loco intelligendus est, non ille qui in omnibus codicibus legitur, Dio; de Stoico enim Dione nihil omnino constat. Emendatio Turnebi ingenio debita, a Goerenzio ad h. l. probata defenditur a Lydenio l. l. p. 84. Confer C. F. Thiery Diss. de Diogene Babylonio, Lovanii 1830, qui tres et viginti Diogenes, plerosque philosophos enumerat. De ipsius philosophia v. eundem Thieryum l. l. Part. poster. de doctrina cet. p. 30—89.

⁴⁰ Exstant fragmenta librorum *περὶ φύσεως* ex Herculani tenebris ad lucem protracta, sed male habita illa et mutilata, primum edita a I. C. Orellio, Epicuri fragmenta de natura cet. Lips. 1818, de quibus vide Creuzer. ad Cic. de Nat. D. I, 18. p. 85., parvae ex magna librorum copia reliquiae, Diog. L. X, 26. *γένονε δὲ πολυγραφέατος ὁ Ἐπίκουρος, πάντας ὑπεβλλόμενος πλῆθει βιβλίων κίλινδροι γὰρ πρὸς τοὺς τριακοσίους εἰσι.*

8. In primis ad partes vocavit Epicuri epistolam ad Menoeceum, cf. Goerenz, ad Cic. de Fin. I, 10, 33. Diog. L. X, 129, eiusdemque *κυρίας δόξας*,⁴¹ de Fin. I, c. 11, 12, 16. Epicuri verba latine expressa leguntur cum aliis locis, tum imprimis de Fin. I, 9, 30. (Diog. L. XI, 137), 18, 57. (Diog. L. X, 140), 19, 63. (Diog. L. X, 144 sq.), 20, 65, 68. (Diog. L. X, 148). — Tusc. Qu. III, 18, 41. Quae hoc loco contra Epicureos disputantur, ex Epicuri libro *περί τέλους* conversâ sunt. Diog. L. X, 6, quam eandem sententiam iisdem fere verbis refert Athenaeus VII, p. 208. 278. XII, p. 546. cf. de Fin. II, 3, 7.

Hecato Rhodius, Stoicus, discipulus Panaetii, multorum librorum auctor.⁴²

Non pauca in lib. III de Officiis ex Hecatonis libro eodem nomine inscripto.

Hippocrates Cous, medicus.

Pauca quae de Senect. 19, 67 de morbis adolescentium disputantur Drakenborch. hausta esse demonstrat ex Hippocrate I, 350 et 456. Vide Gernhard. ad h. l. Hippocratis libros Ciceroni lectos fuisse probabile fit de Or. III, 33 in.

Nicomachus, Aristotelis filius ex ancilla. De Fin. V, 5, 12.⁴³

Ratio Peripateticorum in libro quinto de Finibus exposita.

Panaetius Rhodius, princeps prope Stoicorum, discipulus Diogenis et Antipatri Tarsensis, Posidonii doctor, sententias et verba ad commune iudicium hominum accommodavit, popularem quandam elegantiam consecutus. Prae reliquis eius operibus liber *περί τοῦ καθήκοντος* in numerum venit, sive de Officiis, quem inchoatum reliquit, de Off. III, 2. ad Att. XVI, 11.⁴⁴

Nec tamen est quod valde eos periisse doleamus. Qui a reliquis Epicureis editi erant libri, haud magni aestimabantur, neque ipsum Epicurum et Metrodorum fere praeter suos quemquam in manus sumpsisse testatur Cic. Tusc. Qu. II, 3, 8.

⁴¹ Diog. L. X, 12. *ἐγίναξας δὲ τοὺς γραφίμους* (ab adversariis τοὺς ἀπὸ τῶν κήπων dictos) *καὶ διὰ μνήμης ἔχειν τὰ ἐαυτοῦ συγγράμματα*, non omnia quae scripserat, verum excerpta capita, quibus summa placitorum comprehensa erat, in primis quattuor et quadraginta *κυρίας δόξας*, h. e. maxime ratas sententias, breviter enunciatas, ad beate vivendum gravissimas, quas ediscerent auditores quarumque ubique velut indubitata auctoritate uterentur, de Fin. II, 6, 19. Diog. L. X, 35. 83. 85.

⁴² Recenset illos Diog. L. VII, 87. 103. 110. Hecatonem laudat Seneca de Beneficiis I, 3, 9. Librum de Officiis ad Q. Tuberonem scripsit, cuius sextum librum Cicero inspexit. V. Beier. ad Cic. de Off. III, 23, 89. 15, 63.

⁴³ Sententia qua decem libri Moralium Aristotel. Nicomacho tribuuntur vetus quidem esse, sed parum probabilitatis habere videtur. Ita enim omnia in his Aristotelem spirant tantaque est et dictionis et explicationis cum reliquis Aristoteleis similitudo, ut eos ipsos Stagiritae adscriptos malimus, quam reliquos eiusdem argumenti libros. Goerenz. ad Cic. de Fin. V, 5, 12. Stahr Aristot. II, p. 110 sq.

⁴⁴ Aetatis spatium duobus temporibus continetur, quorum prius transegit apud Romanos, ubi Diogenes eum Laelio conciliavit, Laelius Scipioni, posterius mortuo Scipione apud Athenienses, ubi post obitum Antipatri Tarsensis scholae Stoicae praefuisse videtur. Diu apud Scipionem habitavit eundemque in Africam, ex Africa Carthagine eversa in Asiam secutus est, Tusc. Qu. I, 33, 81. Ac. pr. II, 2. ad Att. IX, 12. Vell. Pat. I, 13., cum Polybio quoque familiaritate coniunctus, de Rep. I, 21. Ex discipulorum numero praeter Laelium et Scipionem clarissimi viri, ipsa rei publicae lumina nominantur C. Fannius, Q. Mucius Scaevola augur, Q. Aelius Tubero, alii: multos eosque praestantissimos discipulos habuit Athenis, quos Athenaeus V, p. 186 Panaetistas appellat, Posidonium, Apollodorum, Hecatonem, reliquos. Libri ipsius longe plurimi deperdit sunt. Fabric. III, p. 567 sq., Brucker I, p. 980, vid. F. G. van Lynden Disput. hist. crit. de Panaetio Rhodio, Lugd. Bat. 1802. De populari eius elegantia vide Cic. de Fin. IV, 28, 79: Stoicorum tristitiam atque asperitatem fugiens nec

Secutus est Panaetii vestigia in altero libro de Divinatione. Panaetius, qui singularem librum de Divinatione scripserat (cf. Lynden l. l. p. 71), id quod Cicero ipse de Div. II, 47, indicare videtur, non ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit, de Div. I, 3. — Maxime secutus est Panaetium in primo libro de Officiis et in altero, quod ipse profitetur de Off. I, 2, 7. II, 17, 60. III, 2, 7., in primis in subsidium vocatis tribus illius libris *περὶ τοῦ καθήκοντος*, nec tamen ita, ut nihil praetermiserit. Locus enim Panaetii qui est apud Gellium Noct. Att. XIII, 27 in Ciceronis libris non deprehenditur, qui quidem Panaetium non nominasse videtur, nisi ubi ab eo discessit. Complures de illo argumento praeter Panaetium scripserunt veteres philosophi, quibus Cicero usus est, certe videtur esse usus. Vide Lynden, l. l. p. 91 et Beier, ad Cic. de Off. I, 2, 6. Vol. I. p. 15. Multa denique Cicero Panaetio in conscribendis libris de Legibus debuit, de Legg. III, 6, 14.

Phaedrus Atheniensis, Epicureus, M. Tullio Ciceroni puero ut philosophus, post Philone cognito, ut vir bonus et suavis probatus.⁴⁵

Nonnulla in libris de Nat. Deorum, in primis in libro primo, ubi ea, quae ab Epicureo Velleio disputantur, Phaedro accepta refert. cf. Petersen, l. l. p. 109. Pauca in libro primo de Finibus, praecipue 9, 31, 20, 66 et in altero libro.

Philo Larissaeus, Academicus, Clitomiachi discipulus eiusque in Academia successor, cum Cicerone adolescente interiore familiaritate coniunctus eiusque in philosophia, rhetorica, poesi praeceptor. Brut. 89. Qu. Tusc. II, 3, 9 et 11, 26.⁴⁶

In primo libro Acad. inde a cap. decimo tertio, in libro altero c. 20 34, fortasse ex opere eius duobus libris comprehenso, quod Ac. pr. II, 4 nullo titulo addito laudatur.

Plato Atheniensis.⁴⁷

In libro I de Divinat. c. 29 locus Platonis de Rep. IX, c. 1. p. 502 latine conversus, c. 37. ex Plat. Ion. p. 145, C. Phaedr. p. 343.

acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior semperque habuit in ore Platonem, Xenocratem cet. de Off. II, 10, 35. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis quum loquimur de opinione populari idque eodem modo fecit Panaetius.

⁴⁵ Nihil Cicero illo elegantius, nihil humanius novit, de Nat. D. I, 33 extr. Attici familiaris de Fin. I, 5, 16. Libros aliquos Phaedri Cicero nominat loco corrupto ad Att. XIII, 39, 3. Verba enim sensu destituta *Φαιδρου περισσών* et *Ἑλλάδος* Orellius emendat *περὶ θεῶν* et *περὶ Παλλάδος*, Osannius *περὶ ὄρων* et *Ἑλλάδος*, Krischius *περὶ θεῶν* et *Ἑλλάδος*. Exigua fragmenta libri *περὶ θεῶν* Herculani inventa nuper edita et quantum fieri potuit restaurata sunt a Ch. Petersen Phaedri Epicurei De Nat. Deor. Fragmenta in Indice Lect. Hamburg. 1833. Vide Krischer, Forschungen auf dem Gebiete der alten Philos. Götting. 1840. p. 29. Madvig. ad Cic. de Fin. p. 859.

⁴⁶ Bello Mithridatico primo Athenis Romam se recepit, postquam multum aetatis in perpetua peregrinatione consumpsit. Tusc. Qu. V, 37, 107. Philosophia eius, quantum ex partitione a Stob. Ecl. II, p. 38-sq. tradita aestimari potest, ad mores potissimum pertinuisse rationeque ac via recentiorum Stoicorum disciplinae similis fuisse videtur, indice Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I, 235. Vide Fabr. III, p. 181 sq. van Heusde Cicero *φιλοπλάτων* p. 73. sq.

⁴⁷ Ratio quae inter Platonis philosophiam et Ciceronis sapientiam intercedit luculenter demonstratur in Heusdii libro modo laudato et Ultraiect. 1836 edito.

Plura in libris de Officiis, in primis ea, quae ad civitatis moderatorem spectant, multa ex Graeco sermone in latinum conversa, in editione Beieriana accurate descripta, plura quam quae hoc loco enumerari possint omnia.

Tusc. Quaest. Lib. I. Locus de immortalitate animorum fere totus ex variis Platonis dialogis, ut ex Phaedro, Menone, Timaeo fluxit c. 10. 11. Platonis liber de animo, qui sect. 25 commemoratur, Phaedo est. 17. 21. 22. locus e Phaedro p. 245 repetitus, cuius Ciceronianam interpretationem cum Platonis verbis comparavit Muretus Var. Lect. VIII, 3. — c. 24. Locus de memoria legitur in Platonis Menone p. 82 sq. c. 16 ed. Buttm., sed Phaedonem quoque p. 72. E. Cicero inspexit. c. 23 e Phaedro p. 245. E. conversus. c. 30 ex Phaedone p. 84. B. E. p. 85. B. D. p. 99. D. p. 61. E. p. 63. c. 25. 26 ex Timaeo. c. 41 Socratis oratio apud iudices habita latine expressa ex Apol. Socr. c. 32. p. 40. C. sq.⁴⁸ Lib. V, 12, 35 integer locus e Gorgia p. 470. D. E. sumptus, ex quo ipse dicit quasi quodam sancto augustoque fonte suam omnem orationem manare. c. 35, 100 Platonis epistola ad propinquos Dionis latine expressa, quae est septima epistolarum, quae Platoni tribui solent. c. 16, 47 conf. cum Platonis de Rep. III. p. 400. D. In nobilissima philosophiae laudatione, quae est c. 2. 3. vestigia eloquentiae Platonicae deprehenduntur, conf. de Rep. V. p. 56 sq. VI, p. 70 sq. Theaet. p. 116 sq. ed. Bip. Vide Hülsemann. ad Cic. Ac. I, p. 347.

In libro de Senect. 2, 6 cf. apud Plat. de Rep. I, p. 149 ed. Bip. Socratis sermo cum Cephalo habitus. 3, 7. Proverbium de Rep. I. p. 150 ed. Bip., quod idem est in Sympos. c. 18 ed. Wolf, et in Phaedro c. 37. ed. Heind. ad imitationem Homeri Od. ρ, 218. c. 14, 46. 47 cf. cum Plat. de Rep. I. p. 149. 150 ed. Bip.⁴⁹ Omnia quae ibi de immortalitate animorum disputantur, ex Platone hausta sunt, modo addito ipsius nomine, ut 20, 73 ex Phaedon. c. 5 extr. et 6 med., 21, 77 ex Timaeo p. 338 ed. Bip., 78 ex Apolog. S. c. 5 et Phaedro p. 318 p. 165 ed. Bip., modo non addito, veluti ex Menon. c. 15.

Exordium libri de Amicitia ex Platonis exordio Theaeteti imitatione expressum, c. 8 ex Plat. Lyside receptum. Forma librorum de Republica accurate ad eam composita, quam Plato suis libris de eodem argumento impressit: multa praeterea Platonica Cicero assumpsit, id quod ipse de Div. II, 1 extr. ingenue fatetur.

In libris de Legibus Platonicum dicendi genus totumque orationis habitum, externam denique librorum formam et dispositionem admirabili arte imitatus est. Exordium enim, ut hoc utar, mutuatus est e Phaedro p. 280 sq. ed. Bip. Comparentur inter alia Cic. de Leg. I, 5, 15 cum Plat. Legg. I, p. 5, Cic. II, 15, 38, 39, 27, 67 cum Platonis de Rep. III, p. 285—290. IV, p. 336. de Legg. XII, p. 212. 213. ed. Bip. Sententia de regio imperio III, 2, 4 pronunciata e Platonis libro quarto repetita est. Titanes sunt apud Plat. de Legg. III, p. 156. cf. de Legg. VI, p. 618. III, p. 595 ed. Bip.⁵⁰

⁴⁸ Vide Wyttenbachium de quaestione: Quatenam fuerit veterum philosophorum usque ad Senecam de animorum immortalitate sententia p. XLV. sq.

⁴⁹ Tanta Platonis et Ciceronis vel in exiguis rebus similitudo esse videtur, ut sint qui Dic meliora legendum esse censeant pro Dii meliora, quo Platonis *εὐφρα* accuratius reddatur.

⁵⁰ Aliis locis ea, quae sua natura similia sunt, similiter nec tamen ita tractantur, ut Cicero Platonem ante oculos habuisse putandus sit (comparetur locus Ciceronis de Rep. III, 4 cum loco Platonis de Leg. IV, p. 714.), aliis eadem argumenta cum aliqua aut graviore aut leviore sententiarum diversitate proferuntur. Cicero de Rep. IV, 3. causam incivilitatis civilis naturalem quandam quasi hominum congregationem et beate honesteque vivendi studium, Plato contra de Rep. II, p. 369. necessitatem esse censet, idemque de Leg. III, p. 678 cum Cicerone naturalem statuit esse hominum congregationem solitudinis odio.

Polemo Atheniensis, Academiae veteris philosophus, Xenocratis auditor, Crantoris doctor, floruit circa a. 315 a. Ch.⁵¹

Legisse se Polemonem Cicero profitetur Tusc. Qu. V, 31, 87, commemoratur Polemo Ac. pr. II, 42.

Polybius Megalopolitanus, floruit a. 146 a. Ch.

Cic. de Rep. II, 26. I, 28. 42—45. Quae de regno in dominationem verso disputantur maximam partem hausta sunt ex Polyb. VI, 3. 7 et aliis locis. cf. Plat. de Rep. VIII, p. 545 sq. Quae de optima re publica ex regali et optimati et populari mixta, temperata modiceque confusa et aequata de Rep. I, 25. II, 23 docentur, comparentur cum Polybii eadem de re sententia VI, 3. De romana re publica optima rei publicae sic constitutae imagine de Rep. II, 1 et Polyb. VI, 4.

Posidonius Apameae natus, quia Rhodi vivebat et docebat, Rhodius dictus, ὁ ἀσληκτῆς cognominatus, a. 86 a. Ch. legatus Romam venit. Plut. Mar. c. 45.⁵²

Posidonii libro *περὶ θεῶν* Cicero usus est de Nat. D. I, 44 in disputatione contra Epicureorum rationem de eadem re academice instituta. In altero libro Stoicorum sententia de natura Deorum ex eodem libro fluxit: nec minus quae sub finem libri primi disputantur. — Lib. I, de Divinat. ex Posidonii quinque libris *περὶ μαντικῆς*, de Div. I, 3. — Liber de Fato ex eiusdem libro *περὶ εἰμαρμένης*, de Fat. I extr. v. Bakium l. I, p. 45. 47. 237 sq. Libri de Officiis cum multis locis, tum maxime libro tertio. Locum enim a Pauaetio praetermissum, qui honesti et utilis comparationem complectitur, quem Cicero explere se velle declarat, non suis viribus explicat, sed Posidonium sequitur, qui hoc argumentum in singulari libro tractavit, *περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος* inscripto, h. e. de officio quod cum incommodo coniunctum est. Eum librum Cicero ad Att. XVI, 11, 2 scribit se exspectare ab Athenodoro Calvo.⁵³

Speusippus Atheniensis, filius sororis Platonis, veteris Academiae ab a. 345—399 a. Ch. princeps eiusdemque quasi heres a Platone constitutus.⁵⁴

Vide Cic. de Nat. Deor. I, 13. Legisse se Speusippum dicit Tusc. Qu. V, 31, 87.

⁵¹ Polemo quum praeter expectationem omnium a dissoluta vita et negligentiore ad meliorem frugem virtutisque strenue colendae studium rediisset, mutatus Polemo in proverbium abiit, Schol. Cruqu. ad Hor. Sat. II, 3, 254. Lucian. Bis Accus. 17., neque tamen aliam ethicam nisi tritiorum illam et in medio positam commendavit. Libri quos plurimos scripsit, teste Suida, iam decimo seculo perdit erant. cf. Diog. L. IV, 16—20. H. Ritter, Gesch. der Philosophie. Vol. II, p. 544 ed. alt.

⁵² Rhodi saepe Ciceronem vidit Tusc. Qu. II, 25, 61. de Nat. D. I, 3, 44., de Fato 3. Plut. Cic. 4. et diuturno cum eo literarum commercio coniunctus fuit, ad Att. II, 1, 1. etiam a Pompeio magni habitus Cic. l. I. Plut. Pomp. 42., non solum philosophiae, verum etiam historiae et geographiae scientia clarus, quare Strabo XI, p. 492., qui saepe eo usus est, eum τῶν κατὰ ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατον dicit. cf. Plin. Nat. Hist. VII, 31. et vide Jan Bake de Posidonio eiusque reliquiis. Lugd. Bat. 1810.

⁵³ Neque tamen silentio praetermittendum est Posidonium multis locis Socratis, Platonis, Aristotelis, aliorum sententias, non laudatis auctoribus, admiscuisse: nisi id ipsum a recentiore aliquo Stoico factum est, qui relicta antiquorum Stoicorum asperitate ad Socratis et Socraticorum elegantiam et suavitatem redeundum esse putaret, vid. Kühner. l. I. p. 99. Ita fit, ut multa, quae Posidonio deberi putantur, rectius illis graecae philosophiae principibus tribuantur.

⁵⁴ Confer Brucker. l. I. I, p. 728 sq. Fabr. III, p. 187. M. A. Fischer de Speusippi Ath. vita. Rastad. 1845.

Stoici universi.

Multa in libro primo Tuscul. Quaestionum cum Platonice mixta, nec tamen satis accurate notata, v. Wytttenbach. Biblioth. Crit. V. III. P. I. p. 127, in altero libro, qui est de tolerando dolore, omnia quibus Cicero probare studet dolorem esse ex rebus mediis, in tertio libro et quarto longe plurima e Stoicorum fontibus derivata, nullis additis nominibus, ut III, 6, 13. 10, 22, in quinto libro 16, 46 doctrina Stoicorum de mediis inter virtutem et vitia, 27, 76 de tribus generibus bonorum, 28, 82. 29 in. refutatio sententiae Peripateticorum sapientes semper quidem beatos neque tamen sapientissimos esse, 16, 47 de Stoicorum praecipuis vel productis. Praeterea de Legg. III, 6 in., nam veteres, qui verbo tensus h. e. ad scholae disputationem de re publica disserentes prodeunt, nulli sunt nisi Stoici. v. Goerenz. ad h. l.

Theophrastus Eresius Lesbicus, Athenas delatus, Peripateticus, Aristotelis auditor eiusque in Lyceo successor. Gell. Noct. Att. XIII, 5.⁵⁵

Expositio Peripateticorum in quinto libro de Finibus ex Theophrasti libro *περὶ εὐδαιμονίας* sive de vita beata, de Fin. V, 5, 12. In libro de Amicitia multa ex Theophrasti libro *περὶ φιλίας* composita, non pauca in libris de Republica ab eodem repetita. Refertur a Cicerone inter eos, a quibus maxime legum prudenter ferendarum ars discenda sit. De Legg. III, 5, 14. cf. de Fin. V, 4, 11.

Xenocrates Chalcedonius, e vetere Academia, Platonis in itinere in Siciliam facto una cum Aristotele comes, eiusque discipulus, praeceptor Polemonis et Crantoris, Speusippi successor, a. 315 mortuus, philosophorum severissimus et propterea clarus et magnus, ab Aristotele nil dissentiens.⁵⁶

Cicero lectum a se esse dicit Xenocratem Tusc. Qu. V, 31, 87. Libri eius *περὶ ἀρετῆς* laudantur V, 18, 51. vide Diog. L. IV, 12.

Xenophon Atheniensis.

De Nat. Deor. II, 7 dictum Socratis in Xen. Mem. I, 4, 8. De Senect. 17, 59 multa satis libere ex Xen. Oecon. 4, 20—22 latine conversa, 22, 79 ex Cyrop. VIII, 7, 17 sq. translata aliis aut omissis aut contractis, aliis amplificatis. De Amic. c. 17. passim ex Memorabilibus Socratis, de Legg. II, 22, 56 iis quae Cyrop. VI, 4, 6 exponuntur perquam similia.

⁵⁵ Ante Tyrtaeus dictus, postea propter magnam ingenii subtilitatem et prope divinam dicendi copiam et elegantiam Theophrastus appellatus, lege a Sophocle a. 305 lata cum ceteris philosophis exul anno post rediit. Clinton. Fast. Hellen. p. 181. ed. Krüger., iudicatus a Cicerone Ac. post. I, 9. de Fin. V, 5, 12. Tusc. Qu. V, 9. Praeter eos qui omnibus noti sunt *ἡθικοὺς χαρακτῆρας* multos libros ad eloquentiam, ad historiam naturalem, in primis ad plantarum, lapidum, metallorum naturam et ad universam philosophiam pertinentes conscripsit. Ex ingenti eorum numero, de quibus plures indices conscripsit Diog. L. V, 42—50, pauci aetatem tulerunt iique pessime habiti: qui exstant, ad ipsam philosophiam nihil fere novi afferunt.

⁵⁶ *Καρχηδόνιος* ap. Clem. Alex. Protr. p. 44 A. et in antiquioribus Aeliani editionibus Var. Hist. XIII, 31. dictus nullo historico errore, sed ex vetere scribendi ratione, quae est apud Stob. Ecl. I. p. 62. Tanta senex egestate pressus dicebatur, ut, quia *τὸ μετόκιον* solvere non posset, periculum esset, ne servus venderetur: libertatem aut Demetrio Phalereo debuit aut oratori Lycurgo. Diog. L. IV, 14. Plut. Flamin. 12. Phoc. 20. Vide D. van Wynpersse diatribe de Xenocrate Chalced. phil. Ac. Lugd. Bat. 1822 cum docta Ch. A. Brandisii censura in Annalib. Heidelberg. 1824. Nr. 30. p. 475. Krischer, Forschungen. Vol. I. p. 311.

Zaleucus Locrensiū legislator, medio seculo septimo a. Ch.⁵⁷

Prooemium libri secundi de Legibus Cicero a Zaleuco mutuatus esse videtur. Vide Stob. Serm. XLII, p. 279. Plato de Legg. X, in.

Zeno Cittieus, Cratetis, Stilponis, Xenocratis, Polemonis, Diog. L. VII, 1., nec non Diodori Megarici auditor Diog. L. VII, 16. 25., scholae cuius princeps fuit ad ultimam senectutem per duodesexaginta annos praefuisse videtur, floruit ab a. 362 ad a. 264.

Ratiocinatio Zenonis de natura Deorum II, 8. Definitio naturae II, 22. In tertio libro de Fin. ratio Stoicorum, in quarto libro Tusc. Qu. 6, 11 definitio τοῦ πάθους, ut sit perturbatio. Diog. L. VII, 110. Vide quae de Stoicis universis supra disputata sunt.⁵⁸

Zeno Sidonius, Epicureus, Apollodori discipulus, aequalis Phaedri Epicurei et Posidonii, Epicureorum acutissimus, quem Cicero (is enim latet sub Cottae persona de Nat. D. I, 21. 33. 34.) cum Attico Athenis audivit.⁵⁹

De Nat. Deor. I, 21. Lib. I et II de Finibus. Ad hunc et ad Phaedrum Epicureum referenda videntur, quae ab Epicureis post Epicurum in huius disciplina novata esse dicuntur de Fin. I, 9, 31. 20, 66. Conf. Goerenz. Introduct. p. XXV.

Enumerati sunt et ad censum vocati principes philosophorum Graecorum, quorum operibus in suis libris conscribendis Cicero usum se esse profitetur: non quo omnes omnino in medium productos esse putemus, multos enim aliorum scriptorum libros praeter eos de quibus supra disputatum est cognitos ei fuisse et inspectos cum aliunde constet, tum inde facile intelligitur, quod illorum libri non item, ut Panaetii aliorumve, qui maiore saepientiae laude excelebant, locupletiores doctrina, accurati diligentia, via breves ac faciles erant, ut eos in describendo facile ac sine negotio sequi posset.⁶⁰ Nos de Graecis locuti sumus: quos tamen non solos consiliis suis adhibuisse constat, verum etiam Latinos, veluti M. Terentium Varronem, omnium Romanorum doctissimum et πολυγράφωτατον, quem supra commemoravimus.

Iam vero si omnia, quae adhuc disputavimus, uno adspectu intuemur eaque perpendimus, quae peregrina, non romana, quaeque Graecorum philosophorum, non Ciceronis sunt, pauca profecto esse fatebimur, quae ipse suis ingenii viribus aut subtilius invenerit, diligentius

⁵⁷ Zaleucum unquam fuisse negat Timaeus apud Cic. de Legg. II, 6, 15.

⁵⁸ Temporum in vita Zenonis ratio implicatior est, Clinton. Fast. Hell. ed. Krueger. p. 379. Antequam Athenas venit et philosophiae se dedit, mercator fuisse perhibetur et nauta Diog. L. VII, 2. 5. 31. Non multa scripsit, maximam partem moralia, quorum recensum facit Diog. L. VII, 4. Quantum effecerit ad Stoicorum disciplinam excolendam non potest certo iudicio existimari, quum plurima eorum quae a recentioribus ad eum referuntur, a sectatoribus ad eum translata esse videantur. Propius a Cynicis abfuisse traditur quam posteriores Stoici, quum qui duriorē vitam ageret τοῦ φιλοσόφου Ζήνωνος ἐγκατέστητος esse diceretur. Firmam nullam ab eo relictam esse disciplinam vel ex eo apparet, quod discipuli in plures mox partes dilapsi sunt. De Zenone eiusque vita ad unum omnes scripserunt, qui vel unum locum ex ipsius philosophia tractarunt, separatim de Zenone librum unus confecit H. Forelli sic inscriptum: Zeno leviter adumbratus, Upsalae 1700. Cf. Orelli. Onomast. Tull. p. 655—657.

⁵⁹ Philo eum coryphaeum Epicureorum appellare solebat, de Nat. D. I, 21, 59., Cicero agriculum hominem, Tusc. Qu. III, 17, 38. ex lepida F. A. Wolfii interpretatione ein kleines knurriges Männchen, quem tamen plurimi aestimat, ad Att. V, 12. Tusc. Qu. V, 10, 11. de Fin. II, 6, 17. Plut. Cic. 4. Multorum quos scripsit librorum, erat enim ut Epicureus πολυγράφος ἀνὴρ Diog. L. X, 15. 27., ne nomina quidem servata sunt, Fabr. III, p. 613. Brucker I, p. 1317.

⁶⁰ Vide Lynden de Panaetio p. 112. Beier ad Cic. de Off. III, 2, 8.

exploravit, aut ab aliis inventa et explorata in certam disciplinae formam redegerit amicisque et discipulis suis deinceps discipulis tradenda tradiderit. Ingentes ille opes ex aliorum thesauris congegit, pauca de suis copiis et admodum tenuia addidit. Nam si quis nonnullorum librorum exordia, ut illud, quo secundum librum Academicorum, vel illud, quo quintum librum de Finib. Bonor. et Malor. auspicatur, aut ea quae in altero libro de Finibus contra Epicurum disputantur, protulerit, aut ad illustria illa exempla provocarit, quae plurima ex Romanorum historia repetita in libris de Officiis orationi admixta leguntur, is omnia fere nominavit quae ab ipso Cicerone profecta esse dicat.⁶¹

Maxima contra et gravissima Ciceronis laus est, quod primus philosophiam ornavit eloquentia.⁶² Mira enim erat ante Ciceronem linguae Romanae penuria atque egestas, quam novam quasi creare et effingere exprimendisque philosophiae notionibus aptam reddere debebat et idoneam. In ea re summus profecto exstitit artifex atque magister. Quod de Or. I, 34, 155. Crassus iuvenibus sui studiosissimis suadet, ut quae legerint graece latine reddant: fore enim ut non solum optimis verbis utantur et tamen usitatis, sed etiam exprimant quaedam verba imitando, quae nova sint, dummodo sint idonea, id ipse summa diligentia fecit. Alia enim nova vocabula ipse ingeniosissime invenit, quibus graeca redderet, alia inventa iam et in usum recepta suo quasi imperio subiecit et philosophica vi et potestate instruxit ac fere armavit. Quod quam difficile sit et molestum ipse expertus est. Nam qua erat in interpretandis graecis vocabulis severitate, in latinis eligendis suoque usui accommodandis diligentia, saepe dubius haerebat et incertus, modo aliis cum aliis commutatis, modo novis ex auxiliis vocatis.⁶³ Eo igitur tota disputatio nostra redire videtur, ut Ciceronem Graecorum sapientiam latinis verbis enunciasset, graeca quasi corpora toga romana vestire voluisse dicamus.⁶⁴ Ita factum est, quod summo studio adnitebatur, ut Graecis iam languentibus in hoc quoque literarum genere laudem eriperet ad populares suos transferendam, quemadmodum reliquas omnes, quae quidem essent expetendae, studio atque industria sua maiores transtulissent. Tusc. Qu. II, 2, 5. Alterum autem, quod ex Ciceronis scriptis civibus suis redundavit commodum hoc fuit, ut oppositis et inter se comparatis diversis philosophorum placitis universae philosophiae, qualis ea aetate maxime erat, imaginem sibi

⁶¹ Neque ipse gloriatur multa a se et inaudita inventa esse: ἀπόγραφα sunt, ad Att. XII, 52 scribit, minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo. Quod prooemia attinet, miramur Ciceronem ad Att. XVI, 6. non dubitantem ingenue profiteri habere se prooemiorum quoddam volumen. Quo factum esse videtur, ut alia prooemia aliis libris praemiserit.

⁶² Ita Cicero de se ipse iudicat de Off. I, 1, 2. Philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, si id mihi assumo, videor id meo iure quodam modo vindicare. Sed tamen ad Div. IX, 17. virum fortem se eundemque philosophum profitetur et in epistola ad M. Catonem scripta, ad Div. XV, 4 extr. philosophiae verae illius et antiquae studium, qua sibi carior nec ulla unquam res in vita fuerit, nec hominum generi maius a Diis munus ullum datum sit, sibi cum Catone commune fuisse declarat.

⁶³ Sic, ne plura dicam, κατάληψιν modo cognitionem vertit, modo perceptionem, modo comprehensionem, quae eadem vocabula ac verba cum iis cognata modo distinguit, modo eandem omnibus significationem tribuit. Eadem ratio est verborum ὁμιᾶν et ὁρέεσθαι, ὁμιᾶν et ἐπιθυμία cet.

⁶⁴ Quod tamen non ita intelligi volumus, nunquam ut iis, quae quidem aliis deberet, suum quoque iudicium adhibuisse dicatur. Audimus enim eum de Fin. I, 2, 6. ita disserentem: Quod si nos non interpretum munere fungimur, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus: quid habent cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint neque sint conversa de Graecis. de Fin. I, 3, 7., de Off. III, 2, 7.

exhibitam adspicerent. Quare si totam summi viri et publicam vitam et privatam, si summam illius et fere divinam dicendi facultatem, eloquendi gravitatem aequae ac suavitatem, si denique indefessam eius in literis collocatam diligentiam atque industriam cogitatione nostra amplectimur, illum non solum de civibus suis, verum etiam de omni philosophia et universa posteritate immortaliter meruisse grati fatebimur. Sic nos quoque dicemus, quod olim Muretus Lib. II. ep. 16 scripsit: Ac mihi quidem saepe numero in summos homines, quos Romana respublica plurimos protulit, intuenti aliorumque facta cum aliis quam possum accuratissime conferenti prorsus ita videtur, plus uni Ciceroni urbem Romam, quam omnibus, quotquot bellica virtute fines protulerunt imperii, debuisse.

